

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Ebrietas e
cum fonte primo

Assumit inter pocula iniusta certamina et nullis existentibus causis asperam excitat rixam quia interponendo uerba uana aliorum sana dicta non patitur audire, sed in contumeliam erigitur conuiuorum et proximorum crimina.

Vinum moderate potatum est medicamentum; plus iusto sumptum uenenum esse cognoscitur.

Iocunditati non ebrietati creata est uini materia.

Augustinus ibidem (ad sacras uirgines).

Assumit inter pocula iniusta certamina et nullis extantibus causis asperam excitat rixam, quia interponendo uerba uana aliorum sana dicta non patitur et in contumeliam erigitur conuiuorum et crimina proximorum.

Ista, lector, ut libenter accipias, admonendum te credidi.

Quare lege Petri apostoli epistolam ad gentes, Pauli ad Romanos, ad Corinthios primam, ad Ephesios, ad Thessalonicenses, ad Titum caute.

Praeterea ad ebrietatem cavendam dominum nostrum Iesum Christum audi in evangelio dicentem:

Attendite vobis ait ne forte grauentur corda uestra in crapula et ebrietate,

quia dominus seruo irascitur, cui multas plagas in adventu suo imponere comminatur.

Quare abstinete uos talia agentes uel facientes,

abstinete uestram insaniam et homines uos, non cupas humanas cognoscite,

et tantam turpitudinem a uobis abicite et ebrietatis crimina totis uiribus declinate.

Rusticanum quidem, sed sanum dictum advertite:

Vinum medicamentum; plus iusto sumptum uenenum esse cognoscitur.

Tantam ergo turpitudinem a uobis abicite et ebrietatis crimina totis uiribus declinate.

Iocunditati, non ebrietati creata est uini materia;

per cuius moderationem sitis extingatur, non tamen ut usque ad ebrietatem bibatur.

Pseudo-Augustinus, *De sobrietate et castitate*, 1.6-7 (CSEL 99, L.J. Dorfbauer ed., pp.116-18, ll.6-20, 1-17).